


tem ad c, orbis maximus quidem est, sed quia à terra remotior, nihil maior apparet. Verum circa s, triente circuli à b, vel sextante à d, Ptolemæus & Copernicus eum maximum apparere, ideoq; maximas prosthaphæreses postulare, quibus à loco suo medio vel à sole longissimè digrediatur, statuunt, siquidem eo loco remotionis & magnitudinis veræ mutua compensatione istud efficiatur.

Dimensionem orbium Mercurij ex tabulis prosthaphærecon aliter inuestigandam esse, ex iam dictis facilè patet, quia et si parallaxes minimæ sint ad apogæum, excessus tamen iuxta positus non perigæi est, sed alterius loci, sextante inde distantis, quo & orbis aliam magnitudinem, & centrum aliud situm habet. Nec scrupulis proportionalibus hic satis fidendum est. Ergo sic procedendum erit.

1. Ad Anomaliam 1. Sex. 30. gr. est prosthaph. eccentrici, 2. gr. 59'. 40''. quæ est ac f. Qualium ergo a c est 100000. talium a f ex fœcundo fiet 5231. Atque hic est proximus centri eccentrici picycli ad a accessus.

2. Ad Anomaliam 2. Sex. 0. gr. hoc est, triente ab apogæo (quo loco parallaxes maximæ sunt) prosthaphæresis eccentrici est 2. gr. 43'. 21''. Hoc præsenti schemate Anomalia b s triens est, vel 120. gr. & d s, 60. gr. eccentrici centrum, motus analogia postulatae (duplus enim est eccentrici motus ad orbem magnum) peruenit in t, ergo f g t duo trientes, & g t sextans erit, ideoq; g t subtensa, æqualis est e g & e t semidiametris, per 15. quarti.

Illa autem in tabulis scripta prosthaphæresis est angulus a s t, vel a s v. Porrò in triangulo a s x, dato angulo ad a per d s 60. gr. cum a x s recto, dabitur a x 50000. & s x 86602 & semis, qualium a s est 100000. Deinde ablato a s v angulo, 2. gr. 43'. 21''. ex a s x 30. gr. residuum est



Z 3

v s x